

INTRODUCTIONIS CRITICAE IN S. S.  
PARS PRIMA

DE AUCTORITATE HUMANA ET HISTORICA  
LIBRORUM S. SCRIPTURAE

Ob diversam sacrorum librorum aetatem atque indolem non potest omnium simul auctoritas commode demonstrari. Separabimus igitur libros Veteris a libris Novi Testamenti. Ordo *chronologicus* postulare ut a primis illis initium duceremus: verum contrarium suadet ordo *logicus*. Ratio praecipua est, quod ad probandam auctoritatem V. T. maxime indigemus testimoniis ex Novo Testamento desumptis, quorum proinde valorem necesse est antea in tuto collocare. Hanc igitur primam Introductionis criticae partem in duas Sectiones dividemus.

Sectio I. erit de auctoritate N. T., Sectio II. de auctoritate. V. T.

SECTIO I.

DE AUCTORITATE HUMANA ET HISTORICA  
LIBRORUM NOVI TESTAMENTI

Ad ostendendam alicuius libri auctoritatem historicam tria solent investigari: 1° *genuinus* ne sit liber, an spurius et suppositivus; quia fidem non meretur liber qui ab impostore scriptus fuit (A): 2° an liber ille lapsu temporis vitiatum fuerit, an vero

(1) Quamvis verum sit in abstracto et metaphysice loquendo fieri posse ut etiam liber spurius et sub ementito nomine vulgatus nihilominus verax sit, id tamen ordinario non accidit, et vitium originis praesumptionem parit falsitatis, ideoque in antiquis libris primo loco quaeritur de eorum genuinitate. Accedit cognitionem auctoris et aetatis libri alicuius viam aperire ad eius veracitatem probandam.

*integer* et incorruptus manserit: nam etiamsi genuinus sit et a viro fide digno conscriptus, si tamen non sit amplius talis qualis ab auctore prodit, hic et nunc auctoritate caret: 3° probandum est libri auctorem *veracem* esse; potest enim libri auctor cognosci, ac insuper constare de libri integritate quin tamen eidem libro ulla fides sit habenda, si nempe auctor illam non meretur. Ut igitur librorum N. T. auctoritatem historicam vindicemus distinctis capitibus agemus I. De N. T. *Genuinitate*. II. De eiusdem *Integritate*. III. De eius *Veracitate*.

CAPUT I.

DE GENUINITATE LIBRORUM NOVI TESTAMENTI

Antequam ad probationes veniamus: opportunum iudicavimus nonnulla praemittere: 1° de accurata notione genuinitatis; 2° de argumentis in hoc genere quaestionum adhibendis, eorumque valore tum absoluto, tum relativo.

I. *Genuinitas* (1) solet passim ita definiri: « *genuinus est ille liber qui ab eo auctore conscriptus est, cuius nomen praesert, vel cui vulgo tribuitur.* » Huiusmodi definitio imperfecta est, cum multi sint libri quorum auctores prorsus ignorantur quin tamen ex hoc spurii dici possint. Ad hunc defectum supplendum alii addunt definitioni: « *vel ad eam aetatem pertinet ad quam referri solet* »; quae quidem additio licet meliorem efficiat definitionem non tamen omnino sufficere videtur. Quot enim sunt libri, quorum non solum auctor sed etiam aetas vel prorsus ignota, vel incerta est, nec tamen ideo ut spurii habentur? Quod quidem etiam in quibusdam S. S. libris accidit v. g. in libris Esther, Iudith etc. Ad haec igitur incommoda vitanda et ad accuratam genuinitatis notionem exhibendam animadvertimus genuinitatem librorum considerari

(1) Ad aequivocationem vitandam animadvertimus apud plures auctores genuinitatem vocari *authenticam*, et *authenticum* idem esse ac genuinum. Sed quoniam vox ista *authenticum* alias accipitur pro *fide digno*, hinc malimus voces *genuinum*, et *genuinitas* adhibere, quae nullam ambiguitatem admittunt. Apud alios auctores pro Latino vocabulo genuinitas occurrit Graecum γνησιότης.

Vq. I. Introductio Critica.

posse vel *absolute*, vel *relative*. Absolute inspecta genuinitas significat originem libri alicuius nulla fraude vitiatam esse, seu librum hunc editum non fuisse tanquam opus alterius auctoris, vel alterius aetatis. Hunc dicimus absolutum genuinitatis conceptum, quia hoc est quod cogitatur cum liber aliquis absolute et simpliciter genuinus dicitur, et hoc est quod vocabulum primum significat; genuinum enim idem est ac *sincerum*, *germanum*, *legitimum*, (V. Forcellini ad hanc vocem). Relative vero inspecta genuinitas est relatio ad aliquem specialem auctorem vel determinatam epocham: haec autem potest innotescere vel potest latere quando scilicet auctor vel aetas libri ignoratur. Dicam etiam amplius; potest liber aliquis non esse genuinus in sensu relativo, qui tamen genuinus sit in sensu absoluto et ut talis auctoritatem faciat; exemplo sit symbolum Athanasianum quod probabilius genuinum non est si relative ad sanctum Athanasium consideretur, est tamen absolute genuinum quia non solum sine fraude vulgatum est, sed tanquam fidei regula semper in magna veneratione habitum. Haec paulo subtilius disputare volumus ne quis turbetur cum viderit de quorundam sacrorum librorum auctoribus vel aetate acriter disputari, nec quidquam certi definiri posse. Hoc tamen fit de libris quibusdam V. T. tantum; nam in N. T. singulorum librorum auctores certo cognosci et probari possunt.

II. Omnia argumenta quae pro librorum genuinitate afferri possunt ad duo genera revocantur; vel enim *externa* sunt vel *interna*. Externa continentur in attestationibus eorum qui libri originem certo cognoverunt et veraciter tradiderunt, quae quidem attestationes vel *explicitae* vel *implicitae* sunt prout vel claris verbis auctorem sive aetatem libri designant, vel tantummodo insinuant vel supponunt aut quavis ratione ad eam alludunt. Interna vero argumenta constant quibusdam indiciis in ipso libro, de quo quaeritur, extantibus, ex quibus libri originem argumentari licet: libri enim auctorum suorum characterem velut filii parentum indolem ac vultum quodammodo praeseferunt. Haec porro argumenta interna vel *negativa* sunt vel *positiva*. Priora consistunt in defectu indiciorum contrariorum, quae scilicet cum aliquo auctore vel aliqua certa aetate convenire nequeant, vel quae utcumque fraudem aut suppositionem prodant: positiva autem sunt ipsa indicia quae

auctorem illum vel illam aetatem referunt. De hoc itaque duplici argumentorum genere in primis statuendum est, ea quae externa vocantur, esse praecipua ac veluti nativa argumenta in quaestione de librorum genuinitate. Siquidem quod aliquis liber hanc vel illam originem habuerit, est res facti: facta autem, ut vulgatum fert adagium, per testes probanda sunt. Interna vero indicia ac coniecturae magno quidem adiumento sunt, praesertim ubi veterum scriptorum testimonia non satis clara aut copiosa suppetant; non parum etiam iuvant ad eadem externa argumenta illustranda et libri alicuius genuinitatem plenius suadendam, numquam tamen argumentis externis praeferri, aut contra illa quidquam valere possunt. Quod imprimis dictum sit contra receptum apud rationalistas morem, qui inanibus coniecturis praesumunt libros sacros adversus constantem traditionem, et repugnante totius antiquitatis testimonio, suis auctoribus abiudicare. Hisce praenotatis ad genuinitatem librorum N. T. probandam accedimus. Quoniam vero probationes quae pro libris proto-canonicis afferuntur non semper pro deuterocanonicis etiam valent, hinc ne imperfecta sit et manca demonstratio, distinctis Thesisibus de utraque librorum classe tractabimus; rursus vero de protocanonicis primum universim agemus, tum vero pauca addemus de singulis.

## ARTICULUS I.

DE LIBRIS PROTOCANONICIS NOVI TESTAMENTI  
UNIVERSIM SUMPTIS

### THESIS I.

*Libri Protocanonici Novi Testamenti genuini sunt.*

#### S. I. Argumenta externa

Omnia argumenta externa quae pro Thesi afferri possunt, ad constantem Ecclesiae traditionem revocantur, cui etiam haereticorum atque adeo ipsorum paganorum testimonium addi potest. Claritatis gratia argumentum ita scholastica forma proponimus.

Illi libri fuerunt revera ab Apostolis eorumque discipulis conscripti, quorum nomina praeseferebant, qui ab universa societate Christiana usque ab Apostolica aetate iis semper adscripti sunt.

Atqui libri proto-canonici N. T. ab universa societate Christiana usque ab aetate Apostolica semper adscripti sunt illis Apostolis vel Discipulis quorum nomina gerunt. Ergo ab iis revera fuerunt conscripti: idest genuini sunt.

Maior propositio certissimum principium enunciat, quod a nullo critico repudiari potest: neque enim aliud certius cognoscitur medium ad libri cuiuscumque genuinam originem probandam, quam constans domestica traditio eorum apud quos liber ille vulgatus ac propagatus est: neque aliam viam ipsi adversarii ineunt ad profanorum librorum genuinitatem demonstrandam, eorum etiam, quos magna confidentia libris nostris opponere solent, non attendentes nullum ferme librum existere pro cuius authenticitate tam certa, tam constans, tam copiosa testium series invocari possit, quam ea quae pro libris nostris afferuntur. Quam contradictoriam agendi rationem iam Sanctus Augustinus in Manichaeis notaverat, qui prima Evangelii S. Matthaei capita tamquam spuria reticiebant, ubi de Mariae virgineo partu sermo est: « *Cum coepero*, inquit, *Matthaei Evangelium recitare Apostoli eius, ubi narratio nativitatis eius tota continetur, continuo dices, illam narrationem non esse Matthaei, quam Matthaei esse universa dicit Ecclesia ab Apostolicis sedibus usque ad praesentes Episcopos certa successione perducta.* » Tum retorquet contra adversarios argumentum: « *Tu mihi quid contra lecturus es? Aliquem forte librum Manichaei, ubi Iesus negatur esse natus ex Virgine: sicut ergo ego credo librum illum esse Manichaei quoniam ex ipso tempore quo Manichaeus vivebat in carne, per discipulos eius certa successione praepositorum vestrorum ad vestra usque tempora custoditus atque perductus est; sic et istum librum credito esse Matthaei quem ex illo tempore quo Matthaeus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum, Ecclesia certa successione usque ad tempora ista perduxit.* (C. Faustum Manichaeum lib. XXVIII, C. 2). » De veritate igitur principii in propositione maiore enunciati nulla quaestio esse potest. Ad minorem igitur probandam accedimus, in medium afferentes testimonia, quae constantem illam Christianorum traditionem ostendunt.

Adducemus itaque primo testimonia *orthodoxorum*, tum vero etiam *haeticorum* atque ipsorum *gentilium*, quibus Ecclesiae traditionis veritas maxime confirmatur.

A. *Testimonia Orthodoxorum:*

Ut constans Ecclesiae traditio clarius intelligatur ita inverso temporum ordine procedemus. Certum est, et ultra ab adversariis admittitur libros N. T. protocanonicos, inde a saeculo Ecclesiae tertio in universa Ecclesia notos fuisse, illisque auctoribus unanimi consensu adscriptos, quorum nomina praeseferebant. Inutile esset adducere auctoritates quae hanc rem confirmant. Satis erit commemorare 1° *Versiones* tum Orientales, tum Occidentales, in primis Vulgatum latinam, et Syriacam simplicem, in quibus omnes nostri libri ordine recensentur cum nominibus suorum Auctorum, quod quidem receptam in Ecclesia persuasionem manifestat; huiusmodi enim versiones in Ecclesiasticis officiis ac liturgia publice in Ecclesia legi consueverunt. 2° Alterum argumentum exhibent quamplurimi *canones* seu *catalogi* sacrorum librorum qui intra hoc temporis spatium modo a singulis Episcopis, modo a Romanis Pontificibus, modo a Conciliis, sive Provincialibus, sive Oecumenicis vulgati sunt; in quibus omnibus singuli libri de quibus loquimur numerantur, ac iisdem auctoribus tribuuntur, quibus nos eos adscribimus. Tales sunt canon Concilii Tridentini Sess. IV, canon Eugenii IV (A. 1444), canon Gelasii (A. 494), canon Innocentii I. (A. 403), canones Ecclesiae Africanae (A. 393-97), et alii de quibus in secunda parte Criticae huius Introductionis dicemus. Hoc itaque admissio, demonstrare aggredimur etiam tribus prioribus saeculis eandem fuisse in Ecclesia persuasionem.

Saeculo III. libros N. T. suis auctoribus adscriptos fuisse communi omnium consensu ex pluribus testimoniis illius aetatis doctorum ostendi potest.

1° *Origenes* praecipuum Scholae Alexandrinae lumen per hanc aetatem in Sacris Scripturis et in critica arte doctissimus, pluribus in origine locis de Apostolica nostrorum librorum aperte testatur. Et primo de Evangelii insigni habet testimonium apud Eusebium Hist. Eccl. L.V c. 25: « *Sicut ex traditione accepi de quatuor Evangeliiis, quae sola in universa Dei Ecclesia quae sub caelo est citra controversiam admittuntur; primum scilicet Evangelium scriptum a Mat-*

thaeo prius quidem publicano postea vero Apostolo I. C. qui illud hebraico sermone conscriptum Iudaeis ad fidem conversis publicavit. Secundum fuisse accepimus Evangelium Marci, qui prout Petrus ipsi exposuerat in literis retulit. Tertium Evangelium Lucae, quod a Paulo commendatur, in gratiam gentilium conscriptum. Postremum vero Evangelium Iohannis. » De omnibus autem libris N. T. luculentum exhibet testimonium in homil. VII. in Iosue, ubi mystice exponit historiam ruinae urbis Iericho hisce verbis: « Iericho tubis subruitur sacerdotum. Statim enim ut tubarum clangor increpuit, murorum deiectus est ambitus. Dixerantur etiam et prius, quod Iericho formam saeculi praesentis obtineat, cuius robur et munimenta sacerdotalibus tubis videmus esse destructa. Firmitas namque et munimenta, quibus velut muris mundus iste nitebatur idolorum cultus erat, divinationum fallacia arte daemonum ministrata, augurum atque aruspicum, magorumque commenta, quibus omnibus velut muris validissimis ambiabatur hic mundus. Insuper etiam diversis philosophorum dogmatibus, et eminentissimis assertionibus ac disputationibus velut proceris quibusdam et robustis turribus firmabatur. Veniens vero Dominus noster Iesus Christus, cuius ille prior filius Nave designabat adventum, mittit sacerdotes apostolos suos portantes tubas ductiles, praedicationis magnificam coelestemque doctrinam. Sacerdotali tuba primus in Evangelio suo Matthaeus increpuit, Marcus quoque, Lucas et Ioannes, suis singulis tubis sacerdotalibus cecinerunt. Petrus etiam duabus Epistolarum suarum personat tubis. Iacobus quoque et Iudas. Addit nihilominus adhuc et Iohannes tuba canere per Epistolas suas et Apocalypsim, et Lucas apostolorum gesta describens: novissime autem ille veniens, qui dicit: Puto autem nos Deus novissimos apostolos ostendit, et in quatuordecim epistolarum suarum fulminans tubis muros Iericho, et omnes idololatriae machinas, et philosophorum dogmata usque ad fundamenta deiecit. » Quibus verbis expresse testatur Origenes de genaitate omnium et singulorum librorum Novi Testamenti.

2<sup>o</sup> Tertullianus passim libros nostros laudat in suis operibus. De quatuor Evangelii insignis est locus in libro IV. contra Marcionem c. 2: « Constitutum, inquit, imprimis evangelicum instrumentum Apostolos auctores habere, quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab ipso Domino sit impositum; si et apostoli-

cos non tamen solos, sed cum Apostolis, et post Apostolos. Quoniam praedicationi discipulorum suspecta fieri posset de gloriae studio, si non adsistat illi auctoritas magistrorum, imo Christi, qui magistrus Apostolos fecit. Denique, nobis fidem ex Apostolis Iohannes et Matthaeus insinuant, ex Apostolicis Lucas et Marcus instaurant, iisdem regulis exorsi quantum ad unicum Deum attinet Creatorem, et Christum eius, natum ex Virgine, supplementum Legis et Prophetarum. » In capite III et IV Epistolas Pauli ad Galatas et ad Corinthios laudat: sed praecipue in Cap. V fere omnes N. T. libros cum suis auctoribus commemorat sequentibus verbis: « In summa, si constat id verius quod prius, id prius quod et ab initio, id ab initio, quod ab Apostolis; pariter utique constabit id esse ab Apostolis traditum quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod hac a Paulo Corinthii hauserint, ad quam regulam Galatae sint correcti, quid legunt Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii; quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium et Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. Habemus et Iohannis alumnas ecclesias... Sic, et caeterarum generositas recognoscitur (2). Dico itaque apud illas, nec solas iam apostolicas, sed apud universas, quae illis de societate sacramenti confoederantur, id Evangelium Lucae ab initio editionis suae stare, quod cum maxime tuemur: Marcionis vero plerisque nec notum, nullis autem notum, ut non eo damnatum: Habet plane et illud Ecclesias, sed suas tam posteras quam adulteras; quarum si censum requiras, facilius apostaticum invenias, quam Apostolicum; Marcione scilicet conditore, vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt favos et vespa, faciunt Ecclesias et Marcionitae. Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum caeteris quoque patrocinabitur Evangeliiis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Iohannis dico et Matthaei, licet et Marcus quod edidit Petri affirmetur, cuius interpret Marcus, nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent. » Ut hoc testimonium recte intelligatur recolegendum est Marcionitas omnia evangelia reiecisce praeter Evangelium Lucae ab ipso tamen Marcione inter-

(1) Hoc est: si non solum Apostolos sed etiam Apostolicos (viros) auctores facimus Evangeliorum etc. Alludit ad Marcum, et Lucam qui Apostoli non erant, ut postea ipse explicat.

(2) Id est caeterarum Scripturarum genus, origo legitima.

polatum et truncatum. Contra eos igitur arguit Tertullianus, Evangelium quidem Lucae (non quidem illud a Marcione depravatum, sed integrum et sincerum) *ab initio editionis suae stare*, eo vero admissio, coetera quoque Evangelia admittenda esse, quia eorum Apostolica origo (*generositas*) eodem fundamento innitebatur, scilicet certa et constanti Ecclesiarum Apostolicarum traditione.

Denique de Apostolorum ac praesertim Pauli Epistolis ita loquitur in Libro de Praescr. c. 36: « *Age iam, qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident; apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscuiusque. Proxima est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippum, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est.* » Facile esset addere testimonia aliorum eiusdem aetatis doctorum, ut sancti Cypriani, Dionysii Alex. etc. Verum inutile ducimus eorum verba recitare. Omittere tamen non possumus *fragmentum Muratorianum*, quod ad initium Saeculi III vulgo refertur, quamvis et ad finem saeculi secundi revocari commode possit. De hoc antiquissimo monumento distincte agemus, ubi de sacrorum librorum *canone* sermo erit. Sufficiat hic animadvertere in citato fragmento Catalogum librorum N. T. contineri, ubique expresse nominari Evangelia *Lucae et Iohannis, actus Apostolorum S. Lucae, tresdecim Epistolas Pauli* (excepta nempe Epistola ad Hebraeos) et duas catholicas Epistolas, quae inter proto-canonicas recensentur, *Petri* scilicet primam, et *Iohannis* primam. Si Evangelia *Matthaei et Marci* omittuntur, hoc fit quia documentum in principio mutilum est: quod autem etiam duo illa Evangelia contineret, evidenter patet ex eo, quod Evangelium *Lucae* dicat esse *tertium*, ut infra citato loco videbimus. Ex his omnibus merito concludimus saeculo Ecclesiae III. unanimum ac certam fuisse in Ecclesia persuasionem de Apostolica librorum N. T. origine.

Si ad Saeculum II. ascendamus, eadem occurrit persuasio in altera huius saeculi parte, quod sequentibus testimoniis luculenter ostenditur.

Primus sese offert sub finem saeculi secundi *Clemens Alexandrinus* Origenis Magister. Hic imprimis N. T. libros in duas partes dividit *Evangelium et Apostolos* (Strom. V, 5, VI, 11, VII, 3). Alias *quatuor Evangelia* agnoscit et nominat, itemque *Actus Apostolorum* Lucae adscribit (apud Eusebium Hist. Eccle. VI, 13, 14. Strom. V. 12) *Epistolas Pauli omnes* commemorat, ea tantum quae est ad Philemonem excepta (apud Eus. VI, 14), *Epistolas Catholicas* omnes Clementem admisisse ac commentatum fuisse idem Eusebius testatur (VI, 44), ex quibus commentariis superest interpretatio in I. Petri, II. Iohannis, et Iudae epistolas quas nominatim hisce sacris auctoribus tribuit (V. Adumbration. et Strom. III. 11; II, 15, III, 2 et Paedag. III, 8).

Ante Clementem *Pantaenus* scholae Alexandrinae moderator, cum ad Indos penetrasset, Evangelium Matthaei ibidem reperit illuc a S. Bartholomaeo Apostolo delatum, qui eos populos evangelizaverat, ut narrat Eusebius (Hist. Eccl. V, 10).

*Theophilus Antiochenus* antistes (176-186) in tribus Autolyum libris, quos religionis defendendae causa conscripsit, Autolyum frequenter remittit ad libros N. T., ex iisque plura loca suis argumentationibus inserit sub formulis denotantibus Sacram Scripturam. Libro III, c. 43 et 44 affert Math. V. 28, 32, 44. et VI, 3. hac formula utens: « *Evangelica autem vox dicit* » et « *Evangelium autem dicit* ». In eodem capite 14. allegat testimonia ex Pauli Epistolis ad Romanos (XIII, 7, 8) et ad Timotheum prima (II, 1, 2) hisce verbis: « *adhuc praecipit nobis divinus sermo* ». In I. II, c. 22 ait: « *Quemadmodum docent nos sacrae scripturae et omnes Spiritu Sancto pleni scriptores (πνευματικοί) ex quibus Iohannes dicit: in principio erat Verbum etc. (Jo. I, 1).* » (1) De eodem Theophilo testatur Hieronimus in Catalogo: « *Legi sub eius nomine in Evangelium commentarius* » scilicet in quatuor Evangelia, ut in epistola ad Algasiam q. 6. idem Hieronymus distinctius explicat inquires Theophilum *quatuor Evangelistarum dicta* in unum compegisse, et exposuisse: ubi etiam recitat locum ex iisdem commentariis in quo Theophilus historiam conversionis S. Pauli

(1) V. Patrol. Graecam. edit. Migne t. VI. col. 1139-1142. — Hic autem opportunum ducimus animadvertere testimonia omnia SS. PP. a nobis citari ex laud. edit. Migne Patrum tam Lat. tum Graec. nisi aliter notetur.

uti legitur in Actis c. IX ingeniose explicat iuxta parabolam Evangelicam de villico iniquitatis.

Hisce addere possemus S. Melitonem Sardensem Episcopum (circa an. 160) qui plura ex nostris Evangelis allegat in sua *Clavi*, quam ex codice Argentinensi primo edidit Card. Pitra in suo *Spicilegio Solesmensi*, to. II. (Paris 1853); item Claudium Apollinarem in libro de Paschate, et Athenagoram in *Legatione pro Christianis* qui nonnulla ex Matthaeo citant testimonia. Verum praecipue insistemus in testimoniis Iustini, et Irenaei, quorum uterque doctrinae et sanctitatis fama post medium saeculum secundum inclaruit, atque ideo tamquam testes maxime idoneos ad fidem Ecclesiae per illam aetatem repraesentandam hic eos prae caeteris producimus. Iustinus itaque imprimis *Evangelia* ab *Apostolis* conscripta fuisse diserte tradit in pluribus locis, quamvis solet ea *commentarios Apostolorum* appellare (περὶ τῶν ἀποστόλων) iisque dicit ab omnibus Christianis fidem haberi. Sane in Apol. I, 33 probans Christum iuxta vaticinia prophetarum ex Virgine natum esse, refert apparitionem Gabrielis Archangeli, eiusque verba prout a Luca referuntur, addens: « quemadmodum docuerunt qui omnia ad Salvatorem Nostrum Iesum Christum pertinentia litteris mandarunt, quibus et credimus. » Item in Dial. cum Tryphone Iudaeo n. 103: « Cum spiritum in Cruce redderet, (Christus) dixit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, ut » ex *Apostolorum* *commentariis* didici. Et cum hortaretur discipulos suos ut Pharisaeorum vivendi genus superarent..... haec » dixisse in *commentariis* narratur: nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et Pharisaeorum non intrabitis in regnum » coelorum. » (Cfr. Math. V, 20. Luc. XXIII, 46 etc.) In citata Apologia I, n. 67 testatur de consuetudine in Ecclesia tunc recepta legendi haec *Apostolorum* *commentaria* una cum scriptis prophetarum in publicis fidelium conventibus: « *Ac solis, ut dicitur die fit omnium sive urbes sive agros incolentium in unum locum conventus, et commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum leguntur.* » Quod autem huiusmodi *Apostolorum* *commentaria* nihil aliud fuerint quam nostra quatuor Evangelia manifestum est non solum ex testimoniis quae exinde allegat Iustinus tum in loco superius citato tum alibi, sed etiam ex aperta eius

declaratione, ex. g. num. 83: « *Apostoli in Commentariis suis quae vocantur Evangelia, ita sibi mandasse Iesum tradiderunt: Eum » scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse: hoc facite in » meam commemorationem, actisque gratis, dixisse: hic est sanguis » meus, ipsisque solis tradidisse.* » Ubi notandum quod ea scripta quae *commentaria* appellaverat cum paganis loquens, *Evangelia* vocari dicit, scilicet apud fideles. Unde apparet hosce libros circa medium saeculum II. vulgo notos fuisse sub nomine Evangeliorum, eorumque apostolicam originem ab omnibus fuisse admissam. Sed clarior etiam est locus in dial. cum Tryph. n. 103 ubi ait: « in *commentariis*, quos ab eius *Apostolis eorumque discipulis* scriptos dico, » proditum est, sudorem veluti guttas sanguinis ex eo defluisse » cum precaretur ac diceret: si fieri potest, transeat a me calix » iste. » Nota distinctionem inter *Apostolos* et *Apostolorum discipulos*, a quibus dicit *scriptos* fuisse hosce *commentarios*, seu *Evangelia*; qua distinctione evidenter designat nostra quatuor Evangelia, quorum primum et quartum *Apostolos*, secundum et tertium *Apostolorum discipulos* habent auctores, Marcum scilicet interpretem ac sectatorem Petri, et Lucam Pauli familiarem ac comitem. Opportune autem huiusmodi distinctio in citato loco a Iustino facta est; historia enim illa Christi in horto Gethsemani languentis et Patrem adprecantis partim a Mattheo (XXVI, 39) *Apostolo*, partim vero (nempe circumstantia sanguinei sudoris) a solo Luca *Discipulo* (XXII, 44) narratur.

Si Iustini esset fragmentum libri de resurrectione (περὶ ἀναστάσεως) quod a S. Iohanne Damasceno recitatur in *Parallellis sacris*, et a Grabio insertum est in *Spicilegio SS. Patrum* saeculi II. (Oxon. 1700) pag. 177 et seqq. atque eidem S. Martyri a laudato Grabio, Halloixio, Dav. Humphreys aliisque non infimae notae criticis adscribitur, nova haberemus testimonia Iustini pro Evangelis et pro Actibus *Apostolorum*; siquidem in laudato fragmento C. II et III citantur testimonia Marci XII, 25. Luc. XX, 34, et in C. IX citatur Luc. XX, 32; et Act. I, 9 (1): Et de Iustino satis.

Succedit Irenaeus Lugdunensis Episcopus et Martyr, cuius auctoritas in re nostra praecipua est non solum ob doctrinae copiam,

(1) V. Patrol. Gr. to. VI. col. 1375-78. et col. 1587-90.

sub quo respectu ab antiquis Ecclesiae scriptoribus summis laudibus effertur, et a Tertulliano (in lib. contra Valent. c. 5.) inter viros insignes recensetur, vocaturque *omnium doctrinarum curiosissimus explorator*, sed etiam ob eius studium investigandi apostolicas traditiones ab immediatis Apostolorum discipulis et familiaribus, ex quibus primo magistrum habuit Polycarpum, ut ipse refert (in l. III, adv. haeres. c. III, et apud Euseb. V. 20), tum Papiam, ut narrat Hieronymus (in catalogo, et in epist. 53 alias 29 ad Theod.), tum praecipue alium quemdam insignem Apostolicum virum, ad cuius auctoritatem frequenter appellat in libris contra haereses, quamvis incertum sit quinam fuerit. Notandum insuper est, laudatos adversus haereses libros, qui aetatem tulerunt, fuisse a sancto viro ante Episcopatum conscriptos, ac proinde non diu post medium saeculum secundum.

Irenaeus itaque Apostolicae traditionis bene conscius, et pro defensione Catholicae fidei contra Gnosticorum deliramenta scribens pro certo assumit libros Novi Testamenti genuinos esse atque uti tales in universa Ecclesia haberi.

Sane 1°. Quod pertinet ad quatuor Evangelia, ita de iis loquitur in libro III, adversus haereses c. I: « Non enim per alios » dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per » quos Evangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc praeconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt fundamentum et columnam fidei nostrae futurum... Ita » *Matthaeus* in Hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii » cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent et fundarent Ecclesiam. Post verum horum excessum *Marcus* discipulus et interpres » Petri, et ipse, quae a Petro annunciata erant, per scripta nobis » tradidit. Et *Lucas* autem sectator Pauli quod ab illo praedicabatur Evangelium in libro condidit. Postea et *Iohannes* discipulus Domini qui et supra pectus eius recumbebat, et ipse edidit » Evangelium Ephesi Asiae commorans. » V, etiam c. 17, et alibi passim.

2°. Ex *Actibus Apostolorum* integra fere capita I, II, III, IV, V, VIII, IX, X, XVII, XX, XXI, XXVII, XXVIII ad verbum exscribit in cit. l. III, cc. XII, XV ubi exponit quanam fuerit reliquorum Apostolorum (praeter Evangelistas) doctrina; hunc autem li-

brum a Luca conscriptum pluries testatur, ex. gr. c. XV init. ubi hoc ex professo tradit scribens: « Eadem autem dicimus iterum et » iis qui Paulum Apostolum non cognoscunt, quoniam aut reliquis » verbis Evangelii, quae per solum Lucam in nostram venerunt » agnitionem, renuntiare debent, et non uti eis: aut si illa recipiunt omnia, habent necessitatem recipere etiam testimonium » quae est de Paulo, dicente ipso primum quidem Dominum ei » de coelo esse loquutum: Saule, Saule quid me persequeris? » (Act. IX)..... Neque (enim) *Lucam* mendacem esse possunt ostendere veritatem nobis cum omni diligentia annuntiantem. Fortassis enim et propter hoc operatus est Deus plurima Evangelii » ostendi per Lucam, quibus necesse haberent omnes uti, ut sequentem testimonium eius, quam habet de actibus et doctrina » Apostolorum omnes sequentes, et regulam veritatis inadulteratam » habentes salvari possint. »

3°. *Epistolas Paulinas* Irenaeus commemorat primum in genere in eod. lib. c. XII, n. 41: « Unde et Marcion. et qui ab eo sunt, » ad intercedendas conversi sunt Scripturas, quaedam quidem in » totum non cognoscentes, Evangelium autem secundum Lucam et » *Epistolas Pauli* decurtantes, haec sola legitima esse dicunt quae » ipsi minoraverint. » In specie vero allegat, et Paulo auctori disertè adscribit *Epistolam ad Romanos* ib. c. XVI, n. 3: « Hoc ipsum » interpretatus est Paulus scribens ad Romanos: Paulus Apostolus Iesu Christi, praedestinatus in Evangelium Dei etc. etc. » (Rom. I.). *Epistolam ad Corinthios primam* ibid. c. XI, 9: « In ea enim epistola quae est ad Corinthios de Prophetis charismatibus diligenter locutus est (Paulus) » (1. Cor. XII–XIV.) *Secundam ad Corinthios* ib. c. VII, ubi solvit objectionem ex 2. Cor. IV, 5. desumptam: « Quod autem dicunt, aperte Paulum in secunda ad Corinthios dixisse in quibus Deus huius saeculi excaecavit mentes » infidelium..... non sumus nos in causa, si hi qui quae de Deo » sunt mysteria scire se dicunt, ne quidem legere Paulum sciunt etc. » *Epistolam ad Galatas* ibidem commemorat n. 2: « Sed in ea quae » est ad Galatas sic ait (Paulus): Quae ergo lex factorum? Postquam est usquequo veniat semen etc. » (Gal. III. 19.) *Epistolam ad Colossenses laudat* in Cap. XIV, 4: « Et iterum in Epistola quae » est ad Colossenses ait: salutem vos Lucas medicus dilectus » (Col.

IV, 14). *Epistolas ad Tymotheum* memorat c. III, 3: « Huius Lini » Paulus in his quae sunt ad Tymotheum *Epistolis* meminit. »

*Epistolam ad Titum* in c. III, fin. « *Quemadmodum et Paulus* » ait: haereticum hominem post unam correptionem devota etc. (Tit. III, 10.) » *Epistolam ad Ephesios* in lib. IV, c. 27: « Et iterum » ait Apostolus: *nemo vos seducat inanibus verbis; propter haec enim venit ira Dei in filios diffidentiae*. Nolite ergo fieri particeps eorum. » (Ephes. V, 6, 7) *Epistolas ad Thessalonicenses* praeter alia loca laudat in I. III, c. 7 « Et iterum in *secunda ad Thessalonicenses* de Antichristo dicens (Paulus) ait: *et tunc revelabitur iniquus quem Dominus I. C. interficiet spiritu oris sui* etc. » (2, Thessal. II, 8). Si secundam vocat hanc epistolam, ergo supponit primam. *Epistolam ad Philippenses* in I. IV, c. 9: « Et Paulus » ait: non quod iam acceperim, aut iustificatus sim aut iam perfectus sim (Philipp. III, 12): » adde locum ex lib. IV, 48: « *Quemadmodum Paulus Philippensibus* ait: Repletus sum acceptis ab Epaphrodito quae a vobis missa sunt (Phil. IV, 18). » Omnes igitur Paulinas epistolas Irenaeus nominatim adscribit Paulo Apostolo, exceptis epistolis ad Philemonem, et ad Hebraeos, quam tamen aliquando citat, ut suo loco videbimus.

4°. De *Epistolis Catholicis Petri et Iohannis* non minus explicita est Irenaei sententia. Sane primam Petri Epistolam laudat in I. IV, c. 9 hisce verbis: « *Et Petrus ait in epistola sua; quem non videntes diligitis, in quem nunc non videntes credidistis, et gaudebitis gaudio inenarrabili* (1, Pet. 1, 8). » Epistolam autem Iohannis primam in I. III, c. 16, n. 3: « *Quemadmodum Iohannes Domini discipulus confirmat dicens: haec autem scripta sunt, ut credatis* etc. » (Io. XX, 31). Propter quod et in *Epistola sua* sic testificatus est » nobis: filiioli novissima hora est, et quemadmodum audistis quoniam Antichristus venit etc. etc. (I Io. 11, 48 seqq.) » et alibi passim.

Quod pertinet ad *Epistolam ad Philemonem* nemo mirari debet eam ab Irenaeo, et ab aliis quibusdam Patribus, qui caeteras Pauli epistolas citare solent, silentio praeteritam fuisse. Haec enim epistola et brevissima est, et tota familiaris, nihilque continet, quod ad dogmata probanda vel haereticos revincendos valeat. Quare nulla erat necessitas vel occasio eam citandi, quemadmodum et nunc

a Theologis vel concionatoribus vix unquam commemoratur, cum tamen omnes teneant eam canonicam esse et ab Apostolo scriptam. Caeterum antiqui scriptores, etiam ab aetate Irenaei parum remoti, qui Pauli epistolas non citando et tamquam ex occasione laudant, sed data opera recensent ac enumerant, hi inquam omnes epistolam ad Philemonem inter Paulinas referunt; nullus enim canon ecclesiasticus offerri potest, in quo haec epistola omissa fuerit. Et re sane vera eam referunt canon Concilii Carthaginiensis III, a. 397, canon S. Augustini De Doct. Christ. I. II, c. 8, canon Innocentii I et caeteri omnes. *Fragmentum Muratorianum* Irenaei aetatem circa conscriptum dum omissa epistola ad Hebraeos, *tresdecim* enumerat Pauli epistolas, expresse illam ad Philemonem nominat; idemque implicite facit Origenes paulo post Irenaei mortem, cum citra omnem dubitationem *quatuordecim* epistolas Paulum scripsisse refert in loco superius citato (hom. VII, in Iosue). Quibus addere placet Tertullianum qui in libro V adversus Marcionem ex professo agens de Pauli epistolis quas Marcion plerumque mutilaverat uti Evangelium Lucae, cum venit ad epistolam ad Philemonem, ita de ea loquitur in c. ultimo: « *Soli huic epistolae brevitatis sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet*. Miror tamen, cum ad unum hominem » literas factas receperit, quid ad *Timotheum* duas, et unam ad » *Titum* de ecclesiastico statu compositas recusaverit. » Haec paulo fusius de hac epistola monere volumus, ad omnem difficultatem removendam. Nunc ad ordinem demonstrationis revertamur.

Ex recitatis igitur testimoniis apertissime liquet circa medium saeculum II. nullam in Ecclesia dubitationem extitisse de Apostolica origine librorum protocanonicorum N. T.

Itaque retrocedentes ab aetate nostra usque ad medium saeculum II invenimus perpetuum atque constantem in Ecclesia persuasionem, quod libri N. T. ab iis auctoribus fuerint conscripti quorum nomina gerunt. Restaret nunc demonstranda Ecclesiae traditio aetate, quae sanctos Iustinum et Irenaeum praecessit, id est in prima parte saeculi secundi et ipso saeculo primo, quae *aetas Apostolica* vocatur quia vel Apostoli vel immediati eorum discipuli adhuc in vivis erant. Cum tamen testimonia scriptorum per hanc aetatem nec tam copiosa nec tam explicita sint, quam in aetate sequenti, ad rem clare demonstrandam ita procedendum duximus.



Primo scilicet, supposita Ecclesiae persuasione circa medium saeculum secundum *indirecte* demonstrabimus, etiam aetate praecedente, seu Apostolica, eandem persuasionem extitisse, eamque proinde ab immediatis testibus derivatam esse: tum vero aliqua *directa* afferemus testimonia scriptorum illius aetatis, qui *Apostolici* vocantur.

I. Primum argumentum indirectum erit illud *praescriptionis*. Sane vidimus, saeculo secundo, et tertio, certam extitisse Ecclesiae persuasionem de origine apostolica librorum nostrorum: huius aetatis scriptores, qui hanc Ecclesiae fidem testantur, rem non tantquam novam sed apud omnes diu receptam tradunt; nonnumquam etiam ad maiorum traditionem expresse appellant. Quapropter praesumendum omnino est eos id ab Apostolis ipsis accepisse. Qui hoc negare audet, dicat quo tempore post Apostolorum aetatem N. T. scriptum fuerit; dicat quondam inceperint hi libri tamquam Apostolici in Ecclesia haberi; vel undenam venerint. Quorum cum nihil ab adversariis cum aliqua veritatis specie affirmari possit, cessent recentiorum N. T. originem obtrudere contra totius antiquitatis persuasionem.

II. Aliud indirectum argumentum suppeditant *absurda* quae necessario admittenda essent in adversariorum hypothesi. Sane si supponamus libros N. T. genuinos non esse, consequens esset Ecclesiam universam saeculi II et III fuisse circa hosce libros deceptam. Iamvero hoc affirmare plane absurdum est.

Et 1° quidem *moraliter* absurdum est errorem in re tanti momenti supponere, non in uno scilicet aut altero homine, sed in tot Ecclesiae pastoribus tam doctis aequae ac piis, in tanto fidelium numero, in tot dissitis regionibus, verbo in universa christiana societate Orientis atque Occidentis, quin ullus unquam fuerit, qui errorem vel fraudem detexerit.

2° Crescit absurditas si consideremus ex una parte librorum de quibus loquimur *naturam*, qui scilicet doctrinam Christi continere dicuntur, et tamquam fidei regula ab Ecclesia semper sunt habiti; ex altera vero parte *officium*, quod Ecclesia semper sibi a Christo impositum existimavit, custodiendi depositum doctrinae revelatae, et invigilandi ne quid contra eius puritatem introducatur; hinc est quod antiqui Patres Ecclesiae testimonium in re de qua agimus uti peremptorium semper habuerunt: « Quaeenam unquam

» litterae, inquit Augustinus, illum habebunt pondus auctoritatis, » si litterae quas Apostolorum esse dicit et tenet Ecclesia ab ipsis » Apostolis propagata... ntrum Apostolorum sint dubitetur? » Et ante illum Tertullianus adversus Marcionem lib. IV, c. 5: « Ulque, » ait, constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesiam » Apostolorum fuerit sacrosanctum. »

3° Absurda est praefata suppositio *historice* etiam considerata; scilicet ex iis, quae scimus de adiunctis Ecclesiae saeculo secundo et tertio, deceptio illa impossibilis prorsus apparet. Siquidem ex una parte constat fideles, et multo magis Ecclesiae pastores facile potuisse de librorum sacrorum origine inquirere ac fraudem quamlibet detegere, ex alia vero parte in huiusmodi inquisitione facienda eos minime negligentes fuisse sed imprimis sollicitos ac vigilantissimos. Quod primum atinet, imprimis ipsi vicini erant aetati apostolicae: multi ex iis cognoverant immediatos Apostolorum discipulos, a quibus profecto acceperant quid Apostoli docuissent et scripsissent; extabant plures Ecclesiae ab Apostolis ipsis fundatae, a quibus facile requiri poterat num hic vel ille liber ab aliquo Apostolo conscriptus iisque relictus fuisset; praesertim cum maxima pars nostrorum librorum pro particularibus illis Ecclesiis scripti dicerentur ex. gr. Evangelium Marci pro Romanis, Iohannis pro Ephesiis, Epistolae Pauli pro variis Ecclesiis quarum nomina praefixa gerebant. Quae quidem omnia in primis valebant pro Ecclesia Romana, quae semper tamquam ceterarum Ecclesiarum mater atque magistra habita est. Dicimus itaque multo facilius Ecclesiae Romanae fuisse veritatem in re de qua agimus investigare ac reperire; et id *primo* propter frequentem et necessariam cum omnibus Ecclesiis communicationem: « Ad hanc enim Ecclesiam, aiebat Irenaeus lib. III, c. 5, propter potentiorum principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, idest omnes qui sunt undique fideles. » *Secundo* quia omnes fere auctores qui dicuntur libros N. T. scripsisse Romae aliquando fuerunt et commorati sunt, Petrus scilicet, Paulus, Marcus, Lucas et etiam Iohannes. Concludamus igitur nihil facilius fuisse saeculo secundo, quam de origine librorum N. T. investigare ac veritatem invenire.

Quod autem fideles et Pastores Ecclesiae diligentes ac vigiles in hoc negotio se praebuerint aperte ex historia constat. Huc pertinet distinctio ab antiquis scriptoribus passim memorata inter libros *Canonicos*, *Apocryphos*, et *Ecclesiasticos*, de qua alibi recur-

ret sermo; huc refertur studium Episcoporum *canones* conficiendi in quibus *genuini* Apostolorum libri ab *apocryphis* secernerentur; huc etiam pertinet severitas illa, qua saepe impostores puniti sunt etiam cum bona fide se egisse faterentur; quemadmodum cuidam Asiae presbytero accidisse referunt Tertullianus in libro de Baptismo, et Hieronymus in *Catalogo* sub voce *Lucas*; qui convictus quod *acta sancti Pauli* vulgasset, licet fateretur se id ob devotionem erga Apostolum fecisse, tamen de suo gradu ob hanc causam depositus est. Igitur Ecclesiae pastores in hoc negotio vigilantissimos fuisse constat. Cum ergo facile etiam illis esset veritatem invenire et fraudem delegere, ut supra vivimus, dicere eos omnes, circa librorum sacrorum originem simul deceptos fuisse neque unquam ex hoc errore emergere potuisse, quid aliud est quam aperta historiae attestationi contradicere?

Concludamus itaque, etiam si nulli extarent aetatis Apostolicae testes, ex subsequenti Ecclesiae testimonio satis et abunde genuinitatem librorum N. T. demonstrari.

III. Verum testes Apostolici non omnino deficiunt, quorum testimonia tamquam *directum* pro re nostra argumentum nunc afferemus.

Ex scriptoribus Apostolicis vix aliquod adduci potest testimonium, in quo fiat *explicita* mentio auctorum N. T. Neque id quemquam movere debet; tunc enim jure aliquo possent adversarii a nobis exigere huiusmodi testimonia, si multa haberemus illorum temporum scripta, atque in iis mentio expressa fieri omnino debuisset singulorum auctorum sacrorum. Quorum utrumque falsum est. Nam, neque multa a Patribus Apostolicis scripta sunt, et ex paucis quae scripserunt, magna pars iniuria temporum intercidit, ut scimus factum esse de scriptis Papiae, Clementis aliorumque. Insuper scripta illa dogmatica aut polemica non erant, sed potius moralia et ad fidelium pietatem fovendam exarata, quos necesse non erat argumentis revincere et de sacrorum librorum genuinitate certiores facere: hinc sancti illi viri scripturam plerumque pro data opportunitate allegant non expresso nomine auctoris, nec etiam semper verborum seriem accurate servant de sententia tantum solliciti.

Ceterum fere omnes Patres Apostolici, quorum aliquod scriptum ad nos pervenit, *implicitum* aliquod testimonium exhibent de genuinitate librorum N. T. cum vel ad eos alludunt, vel sententias ex ipsis excerptas allegant, ex quo saltem hoc deducitur libros N. T. Apostolorum aeo prodiisse, proindeque falsam esse Straussii assertionem eorum originem ad medietatem saeculi II referentis. En testimonia:

1° *S. Clemens Romanus* Petri discipulus et successor de quo mentio fit a Paulo Philip. IV, 3 prae manibus habuit nostros libros N. T. Siquidem in primis in sua prima ad Corinthios epistola omnium consensu recepta (V. Eusebium Hist. Ecc. I, III, c. 16) manifeste commemorant primam *S. Pauli* epistolam ad eosdem; ait enim c. 47. ... « Sumite epistolam B. Pauli Apostoli: quid primum » vobis in principio Evangelii scripsit? Profecto in Spiritu S. ad » vos literas dedit de seipso, de Cepha, et Apollo, quia etiam tunc » diversa in studia scissi eratis » (V. Patr. Gr. to. I, col. 305-308) et sane de hisce loquitur Paulus in I, Cor. c. I, v. 12 seqq. Insuper multa inveniuntur in epistola Clementis allegata ex eadem Pauli Epistola: ita ex. gr. in c. 37 coll. 4, Cor. XII, 12 seq. ubi ex similitudine corporis ostendit mutuum habendam dilectionem: in c. 49 elogium textit charitatis fere verbatim desumptum ex I, Cor. XIII.

Ex Evangelis *Matthaei, Marci et Lucae* plurima occurrunt citata a Clemente in eadem epistola: ex gr. in c. 13: « Praecipue » memores sermonum Domini Jesu, quos locutus est... Sic enim » dixit: estote misericordes ut misericordiam consequamini, di- » mittite ut dimittatur vobis; sicut facitis ita vobis fiet... sicut » indicatis ita iudicabimini, qua mensura metimini in ea mensu- » rabitur vobis; » conferatur hic locus cum Matt. VII, 1-2, et Luc. VI, 36-38. In c. 46: « Recordamini verborum Domini Jesu. » Dixit enim: Vae homini illi, bonum erat ei si natus non fuisset, » quam ut unum ex electis meis scandalizaret; melius erat ut » ei mola circum poneretur, et in mare demergeretur, quam ut » unum de pusillis meis scandalizaret. » Cfr. Matth. XVIII, 6, 7; Marc. IX, 41; Luc. XVII, 1, 2.

In aliis etiam locis Evangelia citat, ut videre est in Patrol. Gr. to. I ubi ad calcem singularum paginarum notantur loca S. Scripturae a Clemente allegata. Inde etiam apparebit Clementem citasse alias *Pauli epistolas* fere omnes, nec non *actus Apostolorum*, et *primam epistolam Petri*. Si Evangelium Iohannis, eiusdemque Epistolas numquam allegat, ratio esse potest quod Clemens ante Iohannem scripserit. Plura denique inveniuntur citata ex libris N. T. in *secunda Clementis ad Corinthios* epistola, quae licet non ab omnibus recipiatur, probabilius tamen genuina est, et in duabus *epistolis ad Virgines*, quae ab antiquis scriptoribus laudatae sed

iandiu deperditae, saeculo elapso in Syriaca versione repertae sunt et a multis eruditissimis viris, ut Clementis opus habentur. (V. PP. Gr. to. I. col. 379 seqq. Syriace et Latine).

2° S. Ignatius M. († 105) in suis epistolis (quarum septem ut genuinae ab omnibus habentur) idem testimonium praebet. Imprimis enim in sua epistola ad Ephesios c. 12 non obscure alludit ad *epistolam Pauli* ad eosdem missam. Sic enim alloquitur Ephesios: « Transitus estis eorum qui ita interficiuntur, ut ad Deum veniant; » Pauli symmystae (mysteriorum consortes, socii), qui sanctificatus, » martyrium consecutus, et digne beatus est, ad cuius vestigia contingat mihi ut inveniar quando Dei particeps fio; qui *tota epistola* » *memor vestri* est in Christo Iesu ».

Idem in epistola ad *Smyrneses* c. 1: « Baptizatus est Christus a Iohanne ut impleteret ab eo omnis iustitia » (coll. Matth. III, 15). Ibid. c. 1 coll. Rom. I, 3, 4. In epistola ad *Ephesios* c. 18: « Crux non credentibus est scandalum nobis autem salus et vita aeterna. Ubi sapiens? Ubi conquisitor? etc. » (coll. 1 Cor. I, 18, 20, 23). Ep. Ad *Magnesianos* c. 10: « Abicite malum fermentum inveteratum et acidum, et transmutamini in novum fermentum, quod est Christus Iesus » (coll. 1 Cor. V, 7, 8) Epist. ad *Polycarpum* c. 5 (coll. Eph. V, 25, 28.): « Similiter et fratribus meis manda in nomine I. C. ut diligent coniuges suas sicut Dominus Ecclesiam » etc. Verum praeter singulares istas allegationes, vel allusiones, maxime notanda sunt loca illa S. Ignatii ubi de integra collectione librorum N. T. non obscure mentionem facit, illos distinguens in *Evangelium* et *Apostolos*, quae distinctio postea adhibita est a Clemente Alexandrino, Melitone aliisque Patribus Graecis, et respondet divisioni Veteris Testamenti in *Legem* et *Prophetas* ab iisdem Doctoribus passim adhibitae. Itaque S. Ignatius in epistola ad *Philadelphenses* c. 3 ait: « Oratio vestra ad Deum me perficiet, ut sorte per misericordiam mihi assignata potiar, confugiens ad *Evangelium* tamquam ad corporaliter praesentem Christum, et ad *Apostolos* tamquam ad praesens Ecclesiae presbyterium: sed et *Prophetas* diligamus etc. » et c. 9: « Eximium autem quidpiam habet *Evangelium*, nimirum adventum Domini nostri Iesu Christi, passionem ipsius ac resurrectionem. Dilecti namque *Prophetas* annuntiaverunt eum; *Evangelium* vero est perfectio vitae aeternae ». Et in epist. ad *Smyrneses* c. 5: « Quibus

(Docetis haereticis) nec *prophetas* persuasere, nec *Moyseis Lex*, sed neque *Evangelium* usque in hunc diem » et c. 7: « Decet itaque abstinere a talibus (haereticis), et nec in privato nec in communi colloquio de illis verba facere: attendere autem *Prophetas*, praecipue autem *Evangelio*, in quo passio nobis ostensa, et resurrectio perfecte demonstrata est. » Notatu dignum est eandem divisionem librorum Canonice in *Legem*, *Prophetas*, et *Evangelium*, *Legem*, *Prophetas* et *Apostolos* etiam in Decretis Ecclesiae circa S. Scripturam aliquando occurrere ut ex. g. in formula fidei Concilii Cartaginensis IV quae servata est in Pontificali Romano ad consecrationem Episcopi, et in Decreto Eugenii IV. Quare dubium esse non potest Ignatium de *Scriptis Evangelistarum* et *Apostolorum* loquutum esse, quemadmodum certe de *scriptis* Moyseis et Prophetarum loquebatur cum *Legem* et *Prophetas*, iuxta receptam divisionem, laudabat.

3° Sit *Papias Hierapolitanus* episcopus qui licet Apostolos non viderit, diligenter tamen ex illorum discipulis et familiaribus collegit quidquid ab Apostolis audierant, eaque in quinque libros digessit, quos appellavit *Αρχαίων Κοινωνίων Έξήγησις* (V. Irenaeum l. V, adv. haer. c. 33, et Eusebium Hist. Ecc. l. III, c. 39). Sanctum hunc virum agnovisse libros N. T. aperte constat. Nam *Marci* Evangelium, itemque *Matthaei* commemorat in sequenti fragmento ab Eusebio servato l. c.: « Aiebat etiam presbyter ille (Iohannes) » quidem Apostolorum familiaris cuius auditor Papias) *Marcum Petri* » interpretem quaecumque memoriae mandaverat diligenter perscripsisse, non tamen ordine pertexuisse quae a Domino aut dicta aut gesta fuerant etc. » De *Matthaeo* vero sic habet « *Matthaeus* quidem Hebraico sermone divina scripsit oracula, interpretatus est autem unusquisque illa prout potuit » subiungit vero Eusebius « Porro idem Papias testimonis ex *priore Iohannis Epistola* et ex *priore* itidem *Petri* desumptis utitur. »

4° Succedit S. *Policarpus M.* episcopus Smyrnenis Apostolorum coaevus. De eo Irenaeus l. III, adv. haer. c. 3 ait: « sed et *Policarpus*, vir qui non solum ab Apostolis eruditus est, et cum multis qui Dominum viderant familiariter conversatus, verum etiam » in Asia Smyrnenis Ecclesiae ab ipsis Apostolis ordinatus est Episcopus; quem nos quoque adhuc adolescentes vidimus (vixit enim » ditissime, et in ultima senectute summa cum gloria illustre per-

» pessus martyrimum excessit e vita), hic, inquam Polycarpus semper » docuit quae ab Apostolis didicerat, et quae etiamnum tradit Ec- » clesia, et quae sola sunt vera. » (Cfr. etiam Eusebium H. E. I. IV c. 14). Is itaque epistolam scripsit ad Philippenses in qua testimonium fert pro genuinitate librorum N. T.

In hac enim epistola c. 2, 7 citat loca manifeste desumpta ex Evangelii Matth. V, 3, 10, VII, 1, 2, Marc. XIV, 38, Luc. VI, 36-38, Mt. XXVI, 41. Item c. 12 citat locum ex epistola ad Ephesios et quidem sub nomine SS. literarum: « Confido enim inquit vos » exercitatos esse in sacris literis... In his scripturis dictum est: » Irascimini et nolite peccare (ps. 4) et: *sol non occidat super iracun- » diam vestram* (Ephes. IV, 26). » Item c. 1 citat ea verba: « *In quem » non videntes creditis, credentes autem gaudebitis gaudio inenarra- » bili et glorificato,* » quae verba leguntur 1<sup>o</sup> Petri I, 8. Ex eadem 1 Petri epistola haec verba citat c. 2: « *Propter quod succincti lumbos mentis vestrae servite Deo* etc. » (1, Pet. I, 13). In c. 1 citat verba ex epistola ad Ephesios (II, 8, 9): « *Gratia estis salvati, non ex operibus* ». Ibidem citat Actus Apostolorum (II, 24): « *Quem suscitavit Deus solutus doloribus inferni* ». In sequentibus etiam capitibus citat epistolam Pauli ad Galatas, ad Corinthios 1<sup>am</sup> et 2<sup>am</sup>, ad Romanos, ad Thessalonicenses (c. 11), ad Timotheum 1<sup>um</sup> et 2<sup>um</sup> (V. cc. 4. et 5), epistolam 1 Petri (V. c. 5, 7, 10 et al.), epistolam 1 Iohannis in c. 7 ubi recitat ea verba: « *Omnis qui non confessus fuerit » Iesum Christum in carne venisse Antichristus est.* » (1, Io. IV, 3). Sed tota epistola Polycarpi exscribenda esset si vellemus ibidem referuntur omnia testimonia quae ex Novo Testamento ibidem referuntur, unusquisque ea consulat in cit. Patrol. Gr. to. V, col. 1005-1016 ad calcem paginarum: tota enim haec epistola ex verbis S. Scripturae veluti contexta est; indicato etiam aliquando sacri auctoris nomine, ut de Paulo superior vidimus, vel saltem generatim innuendo ea verba ex ss. libris deprompta esse, ut ex. gr. in c. 12 ubi post multa testimonia in capitibus praecedentibus allegata praecipue ex N. T. concludit: « *Confido enim vos bene exercitatos esse in sacris literis.* »

Omittere tamen non possumus Polycarpum specialem et explicitam fecisse mentionem de Epistola Pauli ad Corinthios prima, et de Epistola ad Philippenses, quibus et ipse scribebat, missa, et id in duobus locis. Primus locus est in c. 3 ubi ait: « Haec fratres

» non quod mihi arrogem, scribo vobis de iustitia; sed quia vos » provocastis me; neque enim ego, neque alius mei similis beati » et gloriosi Pauli sapientiam assequi potest, qui cum esset apud » vos coram hominibus tunc viventibus perfecte ac firmiter ver- » bum veritatis docuit, qui et absens vobis scripsit epistolas, in » quas si intueamini aedificari poteritis in fide, quae vobis data » quaeque est mater omnium nostrum etc.

Alter locus est in c. 11 ubi loquens de avaritia fugienda ait: « Quis autem ignorat iudicium Dei? An nescimus quia sancti mun- » dum iudicabunt: sicut Paulus docet? (1 Cor. VI, 2) Ego autem » nihil tale sensi in vobis, vel audivi, in quibus laboravit beatus » Paulus; qui estis laudati in principio epistolae eius (scilicet ad » eosdem Philippenses). De vobis etenim gloriatur in omnibus » Ecclesiis ». (Vide Philip. I, 5 seqq.).

Denique, antequam Polycarpum dimittamus commemorare licet Ecclesiae Smyrnaensis epistolam de martyrio eiusdem Polycarpi, in qua multa citantur ex nostris libris, (V. PP. Gr. to. V col. 1030-48); et praesertim *fragmenta e capitulis responsonum S. Polycarpi* quae tamquam genuina habentur a Grotio, Huetio, G. Bullo, quibus nuper accessit Eius Card. Pitra (V. Spicilegium Solesmense; Prolegom. p. LI). In fragmento itaque V quatuor Evangelistae nominantur, et ratio redditur de vario modo quo singuli Evangelium suum exordiantur.

3<sup>o</sup> *Hermas*, quem alii dicunt saeculo II vixisse, alii vero coae- vum et comitem Pauli Apostoli asserunt, de quo idem Paulus loquitur in epistola ad Romanos (XVI, 14), opus conscripsit, cui titulus *Pastor* (Ποιμνν) in tres libros divisum, quorum primus *Visiones*, alter *Mandata*, tertius continet *Similitudines*. In hisce porro libris tanta apparet idearum et locutionum cum N. T. conformitas ut exinde evidens sit Hermam libros nostros agnovisse et in suum usum convertisse. In specie vero quaedam inserit ex *Matthaei, Marci, Lucae, et Iohannis* Evangelii, ex *Actis Apostolorum*, ex Epistolis Pauli ad Romanos, et ad Ephesios, et ex *prima Petri*. (Vide cit. ed. PP. Graecor. to. II col. 891 seq.).

6<sup>o</sup> *S. Barnabas* (sive ille Apostolus, sive alter, ut videtur, eiusdem nominis vir Apostolicus) in celebri epistola a vetustissimis Ecclesiae PP. laudata, et magna in veneratione habita plurimis locis N. T. utitur. Ita in c. 4 (cfr. cit. to. II col. 727 seq.): « At-

tendamus ergo, ne forte, sicut scriptum est; multi vocati, pauci electi inveniantur » (coll. Mat. XX, 16, XXII, 14.). In c. 19: « Πεντε ἀποστόλοι σε δίδου, omni petenti te tribue » (coll. Luc. VI, 30).

7° Sit Anonymus auctor Epistolae ad Diognetum: hunc auctorem virum Apostolicum fuisse, et Apostolorum auditorem ex externis internisque argumentis eruditi communiter confirmant. Sane in c. XI ait: « Non facio verba de rebus peregrinis, neque secus » quam rationi consentaneum sit quaero sed cum Apostolorum fuerim discipulus fio gentium Doctor; quae tradita sunt mihi sub ministro iis qui discipuli sunt digni veritate. » Is itaque in citata epistola eodem c. XI de Evangelii habet testimonium: loquens enim de nova Christi doctrina ac lege. « Deinde, inquit, metus » *Legis decantatur, et Evangeliorum fides stabilitur* (καὶ Ἐβραγγέλιον πιστεύει ἠδὲ φοβέται) *et Apostolorum traditio custoditur et Ecclesiae » gratia exultat.* » Conferri etiam possunt in citata edit. PP. Graecor. to. V epistolae RR. PP. Evaristi, Alexandri I, Sixti I, Thelesphori, Hygini, Pii I, aliaque, scripta antiqua, quae tamen a multis vel tamquam spuria, vel uti suspecta habentur. Porro in his scriptis innumera leguntur citata ex libris N. T., expresso etiam aliquando nomine auctoris. Haec de Patribus Apostolicis. Ex his quae diximus tum *indirecte* tum *directe* demonstratum est libros N. T. protocanonicos etiam ante Iustinum et Irenaeum notos fuisse in Ecclesia Catholica et unanimes consensu tamquam Apostolorum genuina opera receptos. Quo iam demonstrata est perpetua et constans Ecclesiae usque ab Apostolorum aetate traditio de nostrorum librorum genuinitate.

Addemus tamen ad maiorem rei confirmationem etiam testimonia eorum, qui ad veram Christi Ecclesiam non pertinebant, maxime eorum, qui aetate ipsa Apostolica vel paulo post vixerunt.

B. Testimonia adversariorum Ecclesiae.

Distinguendum est sedulo testimonium de genuinitate librorum a testimonio de eorum *veritate* et a *fide* iis praestita. Etiamsi multi ex antiquis haereticis fidem negarent libris N. T., admittebant tamen eos ab Apostolis et Evangelistis conscriptos quibus nos illos tribuimus.

Eorum vero confessio tanto magis valet quanto maiori odio ferebantur adversus dogmata quae in hisce libris continentur.

1° Saeculo I *Cerinthus, Ebionitae.*

Cerinthus coaevus Iohannis Apostoli *epistolas Pauli* reiciebat

ex eo quod diceret Apostolum errasse in eo quod circumcisionem aliosque ritus Mosaicos damnaret (V. Epiphanium in haeresi 28, 5). Ergo aetate Iohannis Apostoli epistolae Pauli existebant. Ex iis etiam in specie citabatur a Cerintho locus Gal. V, 3, 4 ubi dicebant Paulum mentitum fuisse.

De Ebionitis seu Nazaraeis pariter constat eos suscepisse Evangelium Matthaei, et epistolas Pauli repudiasse quem etiam pseudo-Apostolum appellabant (V. Epiphanium haeresi 30, et Eusebium III. 27).

2° Saeculo II. *Tatianus*, cum *Encratitis*, seu *Severianis* (Encratitarum auctor *Tatianus*, promotor et propagator *Severus*, unde et Severiani dicti). Tatianus S. Iustini M. discipulus, postea in haeresim lapsus, librum composuit appellatum *διατίσεων* quod nempe concordiam quamdam quatuor Evangeliorum continebat, de quo Eusebius Hist. I. IV, c. 29, Chronic. Pasch. ad Olymp. 238, Epiphanius haer. XLVI, Theodoretus haeretic. fabular. C. XX, quorum postremus narrat sese plusquam his centum exemplaria huius operis vidisse, et ex manibus fidelium removisse, qui fraudem non suspicantes eo tamquam Evangeliorum compendio utebantur.

Praeterea Eusebius loco superius citato: *Aiunt etiam nonnulli, inquit, ausum illum (Tatianum) fuisse dicta Pauli Apostoli elegantioribus verbis exprimere, utpote qui compositionem verborum illius corrigere studeret.*

De eius autem sectatoribus Encratitis seu Severianis universim sumptis, haec habet Eusebius ibidem. « *Hi legem quidem, et prophetas cum Evangelis admittunt, sed proprio quodam sensu scripturas exponunt. Paulum autem Apostolum maledictis impetentes Epistolas eius repudiant ac ne Apostolorum quidem actus recipiunt.* » Ex quibus apparet, eos dum recusabant fidem adhibere quibusdam libris N. T. eos tamen suis auctoribus adiudicasse.

3° Marcion cum suis qui veterem legem damnabant Evangelia quidem repudiabant praeter illud Lucae et quidem mutilatum, sed ea ab Apostolis et discipulis scripta fuisse ultro admittebant; imo haec praecipue de causa ab Irenaeo, Tertulliano aliisque reprehenduntur quod admittentes eos libros ab Apostolis vel Discipulis conscriptos fuisse, eos tamen mendacii arguere non verebantur. Ita Irenaeus Lib. I, cap. 27: « Et super haec id quod est secundum

» Lucam Evangelium circumcidens, et omnia quae sunt de genera-  
 » tione Domini conscripta auferens et de doctrina sermonum Do-  
 » mini multa abscondens, semetipsum veraciorem iis qui Evange-  
 » lium tradiderunt Apostolis suasis discipulis suis non Evangelium  
 » sed particulam Evangelii tradens eis »; idem clarius refert  
 lib. III, cap. 2: « Cum autem ad eam iterum traditionem quae  
 » est ab Apostolis, quae per successionem presbyterorum in Ec-  
 » clesiis custoditur provocamus eos, adversantur traditioni, dicen-  
 » tes se non solum presbyteris, sed etiam apostolis existentes sa-  
 » pientiores, sinceram invenisse veritatem. Apostolos enim admis-  
 » sisse ea quae sunt legalia Salvatoris verbis; et non solum Apo-  
 » stolos sed etiam ipsum Dominum etc. » Eosdem Haereticos Epi-  
 stolas Pauli admisisse auctor est idem Irenaeus in lib. III, cap. 12,  
 num. 12 ubi ait: « Unde et Marcion, et qui ab eo sunt ad inter-  
 » cidendos conversi sunt scripturas, quasdam quidem in totum non  
 » cognoscentes, secundum Lucam autem Evangelium, et Epistolas  
 » Pauli decurtantes, haec sola legitima esse dicunt, quae ipsi mi-  
 » noraverint ». V. etiam Epiphanium Haeres. XLII et Theodoretum  
 haeret. fab. L. I, c. 24. Haec satis de Marcionitis.

4<sup>o</sup> Succedunt variae *Gnosticorum* sectae quarum origo in pri-  
 ma parte saeculi secundi collocanda est. Valentinus enim, ex quo  
 Valentiniani nomen ducebant, circa annum 140 floruit, et Basili-  
 des iuxta Eusebium sub Adriano (an. 117-138) suos errores spar-  
 sit; imo si fides habenda sit auctori libri *Philosophumena*, secta  
*Ophitarum* hisce omnibus antiquior est, et ad ipsa saeculi secundi  
 initia est referenda (V. *Philosophumena* lib. V, n. 6). Dicimus  
 itaque hosce omnes haereticos libros N. T. admisisse et suis au-  
 ctoribus tribuisse, quamvis contenderent eorum sensum ad suos  
 errores accommodare. Constat id ex testimonio antiquissimorum  
 Ecclesiae Patrum qui contra illorum errores scripserunt; tum etiam  
 ex fragmentis quae ex eorum scriptis supersunt.

Sane in primis de universa Valentinianorum secta testatur Ire-  
 naeus in Prooemio in libros adv. haer. eos praeter *Legem* et *Pro-  
 phetas* etiam *Evangelia* et *Epistolas* admisisse. De singulis autem  
 huius sectae scriptoribus idem facile demonstrari potest. Et quid-  
 em de ipso Valentino id constat 1<sup>o</sup>) Ex testimonio Tertulliani L.  
 de praescript. cap. 38 ubi ait Valentinum *intero instrumento* usum  
 fuisse. Haec sunt Tertulliani verba: « Neque enim si Valentinus

» intero instrumento uti videtur non calidiore ingenio, quam Mar-  
 » cion, manus intulit veritati, Marcion enim exerte et palam ma-  
 » chaera, non stylo usus est, quoniam ad materiam suam caedem  
 » scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit, quoniam non  
 » ad materiam scripturas, sed materiam ad scripturas excogitavit:  
 » et tamen plus abstulit, et plus adiecit, auferens proprietates sin-  
 » gularum quoque verborum et adiciens dispositiones non com-  
 » parentium rerum. » 2<sup>o</sup>) Id apparet ex toto Valentini systemate  
 quod male intellectis verbis Evangeliorum superstruitur, ita ex. gr.  
 doctrina de Aeonibus inter quos nominantur *mens* (νοῦς), *verbum*  
 (λόγος), *Unigenitus* (Μονογενής), *Vita* (ζωή) etc. fundatur in  
 primo capite Evangelii Iohannis; et cetera etiam quae de numero  
 Aeonum, eorumque generatione Valentini somniabat ex variis  
 Evangeliorum, tum aliorum Novi Testamenti librorum testimoniis  
 confirmare conabatur ut minute et copiose exponit prae ceteris  
 S. Irenaeus, auctor coaevus, in l. 1 adv. haer. praesertim c. III. et VIII.

Quae dicimus de magistro etiam de praecipuis eius sectoribus  
 probari possunt. Ex quibus *Heracleon* commentarium scripsit in  
*Evangelium Iohannis* cuius plura fragmenta ab Origene recitantur,  
 in quibus etiam *Matthaei* Evangelium laudat. Videtur etiam *Evange-  
 lium Lucae* exposuisse (V. Spicilegium Grabii tomo II pag. 73-  
 117). Constat etiam eum Epistolas Pauli admisisse et allegasse.  
*Ptolemaeus* alter Valentini discipulus in Epistola ad Floram relata  
 a S. Epiphanio Haeres. XXXIII Evangelia S. *Matthaei* et *Iohan-  
 nis* citat; item Pauli Epistolas *ad Romanos*, *ad Corinthios* et *ad  
 Ephesios*.

*Bardesanes* eiusdem sectae haereticus omnes prorsus Novi Te-  
 stamenti libros admisit teste Epiphanio (1). Idem dici potest de  
 Theodoto, Isidoro, Marco aliisque pluribus Gnosticis quorum scripta  
 perierunt, sed non pauca ex iis fragmenta ab Irenaeo, Origene,  
 Epiphanio, Clemente Alex. et ab auctore *Philosophumena* con-  
 servata sunt. Atque hic obiter animadvertimus quam plenum ac  
 splendidum evasurum esset nostrum argumentum ex vetustissimo-

[1] Haeres. LVII n. 2. ubi narrata huius alicuique docti viri perversione  
 hoc de eo factum: « Porro Legis ac Prophetarum libros, adeoque Vetus ac No-  
 » vum Testamentum..... adhibet; » et paulo post ita eum urget: « Nam si Ve-  
 » tus Testamentum ac Novum admittis, nonne et corripisse veritatis viam,  
 » et a verissima Domini vita abhorreere manifeste convinceris? »

rum haereticorum testimonio si omnia eorum scripta superessent, cum ex solis particulis eorum scriptorum tam multa pro authentia N. T. desumere datum sit. Qui plura de hoc argumento scire cupit adeat primam partem Introductionis L. Hug, ubi ex solis fere haereticis thesim demonstrat.

§ Addere placet etiam Paganorum testimonium quatenus ex eo Christianae societatis publicum testimonium confirmatur. *Celsus* et *Porphyrus* quorum alter secundo, alter tertio saeculo vixit, libros N. T. eorumque auctores certo cognoverunt. Et de *Celso* quidem id constat e testimoniis quae ex eius opere ἀληθής λόγος recitat Origenes in VIII libris contra eundem scriptis; non solum enim libros Christianorum sub nomine *Evangelii* commemorat, sed plurima etiam loca ex iis recitat quae quidem irridet et falsa esse contendit, eorum tamen authenticam nunquam in dubium revocat. Sane in citato opere *Celsus* inducit Iudaeum Christianos irridentem ob ea quae de Christo Iesu ab eiusdem Iesu Discipulis scripta fuerunt, et ea omnia minute persequitur iuxta quatuor Evangelistas incipiens a Christi Nativitate ac tota eius infantiae narratione quemadmodum in Matthaeo et Luca legitur, deinde Christi Baptismum cum suis circumstantiis, totamque vitae eius publicae seriem, nec non prodigia de eo narrata et circumstantias omnes passionis ac mortis refert non omittens antilogias quae inter diversas Evangelistarum narrationes videntur existere. De his omnibus confer Origenem praesertim in primis duobus contra *Celsum* libris.

Ad *Porphyrum* quod attinet omnium paganorum qui contra Christianam fidem scripserunt doctissimum quamvis is libros N. T. vehementer impugnaverit eorum tamen genuinitatem nunquam negavit quae certe compendiarie via fuisset ad Christianam fidem labefactandam. In specie vero Evangelia Matthaei et Iohannis, Epistolam ad Galatas, Actus Apostolorum et alios etiam N. T. libros, teste Hieronymo, refutare conatur.

Hisce addi solet Iulianus Apostata cuius tamen epocha nimis recens est ut in re nostra aliquid ponderis habeat. Merito igitur S. Io. Chrysostomus ad horum etiam Gentilium libros appellabat pro authentia librorum N. T. scribens in homil. 6 in I Cor.: « Suf- » ficiunt etiam, qui nobis adversantur, ad contestandam librorum » nostrorum antiquam originem, libri scilicet scripti a Celso et

» Bataneote (1) qui cum ipso faciebat. Neque enim libris qui post » ipsos scripti fuerint, contradicere potuissent (οὐ γὰρ δὴ τοῖς » μετ' αὐτοῖς συντεθέναι ἀντέλεγον.) » Haec de haereticis et paganis.

Concludere itaque possumus, quod demonstrandum assumpsi- mus, persuasionem de apostolica origine librorum N. T. certam ac universalem extitisse omnibus saeculis, cuius origo aliunde re- peti non potest quam ex ipsorum Apostolorum ac Apostolicorum virorum testimonio, cuius persuasionis firmitati atque evidētia neque ipsi acerrimi fidei hostes et corruptores contradicere potue- runt: quae proinde librorum nostrorum genuinitatem inconcusse demonstrat.

### §. II. Argumenta interna

Quid sint argumenta *interna* iam diximus; scilicet *indicia* quae- dam in ipso libro existentia ex quibus libri genuinitas apparet. Huiusmodi indicia vidimus esse vel *positiva* vel *negativa*. De *negativis* non agimus tum quia haec in argumento positivo includuntur tum etiam quia in solvendis difficultatibus adversus libro- rum nostrorum veracitatem demonstrabitur nihil adduci ab adver- sariis potuisse quod ostendat ea quae in his libris continentur cum adiunctis temporum ac personarum quibus tribuuntur non conve- nire. Hic itaque sub oculos ponemus *positivam* concordiam existen- tem inter libros N. T. et ea quae de aetate Apostolica et de Auc- toribus nostris aliunde nota sunt. Vis istius argumenti fundatur in sequenti principio quod scilicet difficile sit, imo moraliter impos- sibile, ut Auctor qui vult aetatem et auctorem antiquum simulare seipsum suamque aetatem non prodatur. Nam decursu temporis loco- rum ac personarum circumstantiae, lingua etc. mutantur, et unus- quisque proprium habet caracterem atque ingenium, quod penitus exuere ac dissimulare nequit; ac proinde admodum difficile est ut impostor ita se transferat ad aliam epocham, et ita alterius perso- nam induat, ut nihil ei excidat quod illi aetati ac personae repu- gnet. Crescit difficultas si post aetatem illam in qua dicitur scriptus liber, magna catastrophe locum habuerit, qua omnia susdeque versa,

(1) Nominē Bataneotis intelligendus est Porphyrus, ita vocatus quia Batanea oriundus.